





Disputatio IV.

Continens *duodecim* Articuli III.

De Iustificatione Homi-
nis coram Deo.

PRO FORMV-
LA CHRISTIANÆ
CONCORDIÆ,

*Quam assistente divinâ gratiâ
SUB PRAESIDIO*

Reverendi & Clarissimi Viri,

Dn. LEONHARTI
HUTTERI SS. THEOL. D. ET
Professoris in celebri Academiâ VViteber-
geni Publ. in Collegio disputationum Theolo-
gicarum privato proponit & exhibet

M. PETRVS HINKELMANUS
Rostochiensis.

Ad diem 10. Septemb. Anno 1603. horis pomerid.

VVITEBERGAE, Ex Officina Cratoniana.



*Reverendis, incomparabili doctrina Excellentissimis, fidei
sinceritate, docendiq; dexteritate præstantissimis Theologis,
de Ecclesia & Academia Rostochiana optimè meritis &
adhuc cum laude merentibus.*

Dn. D. LVCÆ BACMEISTERO
Superintendenti

Dn. D. IOHANNI FREDERO
Superintendenti.

Dn. D. VALENTINO SCHACTIO

Dn. D. DAVIDI LOBECHIO.

NEC NON

*Humanissimo, Doctrinâ virtute & Auctoritate egre-
gio Viro Patritio, AE dili & Civi Rosto-
chiensi Primario:*

Dn. HERMANNO LEMMICHIO.

*Dominis, Præceptoribus, Patronis & Promotoribus suis
magnis, omni Reverentiæ & observantiæ honore aternùm Colendis,
Theologicam hanc οὐκ ἴστω, fundamentum Orthodoxæ nostræ Re-
ligionis continentem, in animi grati obligationem, suiq;
commendationem, devotè offerre meritò debuit,
& pie dedicare lubens voluit,*

Respondens.



THESIS I.

DE hoc articulo, qui proponit Iustitiam miseris peccatoribus à Deo per fidem imputatam, & tertium locum inter eos, qui à Theologis A. C. controversi sunt, obtinet, B. Lutheri testimonium tale extat: Si unicus hic articulus sincerus permanserit, etiam Christiana Ecclesia sincera, concors & sine omnibus sectis permanebit: sin vero corrumpetur, impossibile est, ut uni errori aut fanatico Spiritui obviam iri possit.

II.

Vult hac sua ex Divino instinctu profecta assertione, huius articuli sublimitatem & dignitatem, nec non summam curam & diligentiam, omnibus reformatæ religionis professoribus, quam diligentissime esse commendatam.

III.

Cuius tam necessaria quàm utilis adhortationis A. C. addicti memores, nihil reliqui fecerunt, quò hic articulus quoq; inter alios variè agitat, certa quadam & perspicua methodo, sine longa verborum circuitione, in sano, vero ac genuino sensu per thesin & antithesin propositus, sub certa religionis orthodoxæ formula ad veritatem & concordiam, cuius uberimus in posteros esset fructus redundaturus, revocaretur.

IV.

Nos proinde utilissimum, maximèque necessarium istum articulum juxta form. Concord. compendarios in thesi & antithesi propositos paragræphos, qua possumus dilucida brevitate, hac συζήτηση σὺν Θεῷ, persequemur, eiusdemque ἐκδεσὶν hisce tribus capitibus pertractabimus. Primum, Originem & statum controversiæ tam principalem quàm minus p̄ncipalem quàm brevissimè expediet. Secundum, thesin bimembrem, priorem quidem Osiandrisimo & Stancarismo oppositam, posteriorem verò contra Interimisticos tam Architectos quàm Applausores directam, pertractabit. Tertium, Antithesin & corruptelas purioris doctrine præcipuas paucis subiunget.

CAPUT I.
Origo & status controversiæ.

V.

Vix repurgatâ per B. Lutherum doctrinâ de iustificatione hominis: Ecce aliâ Diabolus viâ rem, mutato in subtiliorem habitu, aggreditur, & inter Doctores Confessioni Aug. addictos, novas contentiones excitat, tali bipartita questione in medium quasi proiectâ.

VI.

1. Cum Christus, qui à Deo nobis factus nostra iustitia 1. Cor. 1. v. 30. sit Gigas gemine substantiæ: An secundum Divinam suam naturam per fidem habitando in cordibus nostris essentialiter; 2. An verò secundum humanam solummodo suam naturam, in qua pro totius mundi peccatis patiundo & moriundo satisfecit, sit nostra Iustitia imputativè?

VII.

Primam questionem quod attinet, non hic queritur de generali Dei presentia, qua omnibus creaturis & hominibus adest, de qua loquitur Paulus Act. 17. v. 28. sed de speciali & gratiosa inhabitatione, quâ per fidem in cordibus piorum & credentium tantum habitat, questio est; an essentialis divinæ naturæ in Christo iustitiæ eiusdemq; inhabitatio in cordibus credentium, sit causa formalis nostræ Iustitiæ, seu ipsa nostra iustitia, qua coram Deo iusti sumus.

VIII.

Utraq; quidem questio habuit suos eosq; haud infimi nominis Theologos propugnatores. Sed quia dis δία πρῶτων à vera illa & communi semper consensu ab orthodoxis recepta sententia, Quod Christus sit nostra iustitia secundum utramque naturam; dissentiret: ideo à form. concord. authoribus etiam tanquã ψευδολογία & falsa reiecta & anathemate notata est. Et hic status controversiæ in hoc articulo est principalis.

IX.

Præter hanc controversiam, superioribus annis Metaxycæ religio Augustanæ sphingis, variis de articulo iustificationis, & præsertim de exclusivâ (sola fide) dissertationibus & dissensionibus ansam præbuit. Cum enim libellus Interim Iustitiæ fidei describeret merito Christi & charitate quatenus ad fidem & spem accedat: nonnulli Theologi alias A. C. addictissimi, sive libelli huius insidiosa obscuritate decepti, sive periculorum impendentium formidine territi, haud parum ab orthodoxis huius articuli, & sic quoq; ab ὑποὑπώσει ὑγιαίνόντων λόγων deflexerunt & exorbitarunt, docentes: particulam exclusivam (sola fide) non esse adversus Romanenses urgendam, neq; admodum pro ea pugnandum, sed dicendum potius: Nos præcipuè salvari fide. Quæ

X.

Qua occasione questio isthæc, tanquam μὴ λὸν ἐρηδος, Ecclesie obiecta fuit: An sola fide justificemur? & an usus particularum Excluserarum necessario in Ecclesia sit retinendus? Vnde status controversiæ alter minus principalis ultrò emergit.

CAPUT II.

Ἐπίθετος membrum primum.

XI.

Initio & principaliter circa primum controversiæ statum queritur: quænam sit vera verbi justificandi, in hoc negotio, & in ijs locis qui de justificatione hominis coram Deo loquuntur, significatio? Nimirum non habitualis aut qualitativa, neq; significativa, sed Relativa.

XII.

A foro enim soli in poli iudicium translatum Vocabulum justificationis significat justum pronunciare, à peccatis & æternis peccatorum supplicijs absolvere, propter iustitiam Christi, quæ à Deo fidei imputatur, ut Apol. form. concord. habet.

XIII.

Atq; hanc significationem tanquam veram & γνήσιον in hoc articulo Concordiæ §. 5. amplectitur, phrasi Ebraicâ, sacris literis in V. & N. T. usitatâ. Proverb. 17. v. 15. qui justificat impium & condemnat justum, abominabilis est uterq; apud Deum. Rom. 8. v. 34. quis accusabit Electos DEI? Deus est qui justificat. c. 3. v. 24. Iustificamur gratis. c. 5. v. 1. Iustificati fide pacem habemus.

XIV.

Verbum itaq; iustificandi hoc loco in prædicamento ἀεὶς Ἰς acceptum, habet fundamentum, Deum justificantem & salvantem propter Christum: terminum, personam credentem: Relationem, ipsam Divinæ misericordiæ & Christi iustitiæ ad personam credentem applicationem.

XV.

Ex hac vocis brevi declaratione haud erit difficile justificationem ipsam definire: quod sit actio Dei, qua ex mera gratia tantummodo propter unicum meritum filij sui fide apprehensum, homines, remissis illorum peccatis & iustitia Christi imputata, in gratiam recipiat, & hæredes vitæ æternæ efficiat.

A 3

Cause

XVI.

Cause itaq; Justificationi assignantur tres: GRATIA DEI, MERITUM CHRISTI, FIDES. Quas expresse ponit Paulus in Epistola ad Rom 3. vers. 24.

XVII.

Ἄλλοιον κύριον Justificationis nostræ est Deus triunus, qui merâ suâ gratiâ & misericordiâ motus, hominem peccatis pollutum, & propterea aeternæ destinationis damnationi, vicissim in gratiam recipit Tit. 3. v. 4. 5. Rom. 3. v. 23. 6. 4. v. 5. 6. 8. v. 32. 33. 34. Gal. 3. v. 8. Eph. 2. v. 8.

XVIII.

Vocabulum verò, gratia, hoc loco non passivè pro gratiositate, quâ nos Deo accepti sumus, sed active capitur, pro favore & dilectione Dei, qua ille peccatores prosequitur. iuxta clarissima scriptura dicta. Ioh. 3. v. 16. Eph. 2. v. 4. Tit. 3. v. 4. 1. Ioh. 4. vers. 10.

XIX.

Quia verò hæc gratia DEI nulli hominum contingere potest, nisi justitiæ DEI offense ad plenum sit satisfactum, ponitur secunda causa nostræ justificationis, meritum Christi, quo ille tanquam λύτρω sufficientissimo, constitutus mediator inter Deum & homines, patiendo & moriendo horum peccata expiavit, & totali sua obedientia legi DEI satisfecit, atq; ita nobis à Deo factus est sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio 1. Cor. 1. v. 29. Gal. 4. v. 4. 1. Ioh. 1. v. 8. Esa. 43. v. 25. C. 53. v. 4. Act. 20. v. 28.

XX.

Quocirca Christus verè à nostra Concordia dicitur nostra justitia, non ratione essentialis suæ, quam ab eterno à patre habuit, justitiæ, secundum Divinam naturam, illa enim cum suis proprietatibus, omnibus creaturis extra λόγος ὑπόστασις existentibus, omnino est ἀκοινώνητος: neq; secundum humanam naturam tantum, sed totus Christus secundum utramque naturam, in sola obedientia sua, quam patri ad mortem usq;, absolutissimam tota persona Deus & homo prestitit, eaq; Activâ nimirum & Passivâ obedientiâ, atq; ita toto suo redemptionis officio, nobis peccatorum omnium remissionem & vitam aeternâ promeruit, ut nostra Concordia, ab Osiandrisimo & Stancarismo divortium faciens, disertè affirmat, immotis innixa scripturae fundamentis. Matt. 5. v. 17. 3. Gal. v. 13. C. 4. v. Rom. 3. v. 24. C. 5, v. 8. 9. 19. 2. Cor. 5. v. 21.

XXI.

Atq; propterea etiam opus Mediationis quo liberati justificamur, ἐνέργεια Θεανθρώπινη à veteribus nuncupata fuit, quod in illa concurrant Divinitatis & Hu-

manita-

manitatis actiones, distinctæ quidem inter se, sed ad unum idemq̄, ὁποτέλεσμα
producendum plane necessaria, ob reatum moriendo abolendum, & iustitiam infi-
niti pretij & valoris restituendam.

XXII.

Hoc meritum Christi, cum sit respectu nostri alienum, unico medio &
instrumento ληπτικῶ solius fidei apprehendimus & nobis applicamus, ut no-
stra Concordia §. 3. asserit, unde & iustitia fidei dicitur, quia huius beneficio tan-
quam causa ὀργανικῆς nobis applicata pro nostra reputatur.

XXIII.

Præsupponit & hæc ὁποτικὴν verbi & Sacramentorum, per quam Deus illud
nobis offert, & fidem in nobis accendit & confirmat. Rom. 10. v. 18. quæ deinde pro-
pter meritum Christi quod apprehendit, nobis ad iustitiam imputatur. Rom. 4. v. 3.
C. 3. v. 24. Eph. 2. v. 8. Habac. 2. v. 4. Ebr. 11. v. 6.

XXIV.

Complectitur vero hæc fides non solam γνῶσιν seu notitiam histo-
riæ, ut nostra Concordia §. 4. contra pontif. docet. Hæc enim non est vera fides, sed
tantum simulacrum & cadaver fidei, sicut si corpus inanime hominem dicas, quare ne-
que sola sufficit Matt. 7. v. 21. Rom. 2. v. 13. Iacob. 1. v. 22. aliàs & Diaboli, quibus
hanc notitiam Iacobus. cap. 2. v. 19. & Ethnici, quibus eandem Paulus Rom. 1. v. 19.
20. 21. non denegat, iustificarentur. Luc. 12. v. 47.

XXV.

Sed etiam requiritur ad systema fidei iustificantis κατάληψις & assen-
sus, ut promissioni Evangelicæ, quam noverimus, etiam assentiamur, & pro vera ἀράτῃ
eam accipiamus: de quo assensu hæc dicta loquuntur. Iob. 17. v. 8. 1. Ioh. 5. v. 13. Iob.
1. v. 11. 12. Luc. 8. v. 13. 1. Cor. 12. v. 8.

XXVI.

Denique salvificam fidem perficit & absolvit τῶληροφροσία, quæ ex no-
titia & assensu oritur, & est fiducia animi certissima, in mera DEI misericordia
unicè acquiescens, & meritum Christi sufficientissimum sibi attribuens, atq; in pro-
missionibus Evāgelicis de gratuita remissione peccatorū apprehensis, lato & quieto ani-
mo recumbens, Rom. 8. v. 38. C. 10. v. 9. 10. Eph. 1. v. 13. 1. Cor. 2. v. 12. 13. Coloss. 1. v.
23. phil. 3. v. 12.

XXVII.

Huiusmodi fides nominatur ὑπόστασις, Sap. 16. v. 21. 2. Cor. 9. v. 11. Ebr.
11. 1. v. Efficit enim ut id, quod futurum est in spe, sit præsens in re.

XXVIII.

Iustificat autem non formaliter sed ὀργανικῶς, ei enim non ut operi,
aut virtuti in nobis, sed ut organo, non subiecti & qualitatis, sed obiecti & relationis
causæ.

causa, hoc tribuitur, quod iustificet, neq; enim fides nominatur illud ipsum quod iustificat, seu propter quod iusti reputamur, sed quo fit iustificatio, & per quod iustificamur. Vnde fit, quod fides imbecilla æquè iustificet, atq; firma.

XXXIX.

Forma denique nostræ coram Deo iustificationis consistit primùm in remissione peccatorum, deinde in donatione iustitiæ Christi, horum illud *εργαζον*, efficacissimo antipharmaco, nostræ iniustitiæ & peccatorum admissorum culpa & reatus *θεου*, aufert: hoc vero *θετικον*, sufficientissimo antidoto iustitiæ nostræ primæve & imaginis DEI in Adamo amissæ *εργον*, restituit & in nobis reparat.

XXX.

Vtrumq; hoc bonum in unico Christi merito continetur, cuius imputatio, est ea ipsa forma, quæ in iudicio Dei iusti censemur, quæ non habitu sed relatione fidei describitur, quæ nobis peccata quæ insunt, non inesse reputantur, & Christi iustitiæ quæ non inest, vere imputatur. Atque ita iustitiæ illa Christi nobis, ut e contra nostra iniustitiæ Christo, realiter tamen, imputatur. Nam imputatio iustitiæ Christi & nostræ iniustitiæ, est analogica & commutativa. Quemadmodum id ipsum Paulus prolixè, in Epistola ad Rom. cap. præsertim quarto, demonstrat.

XXXI.

Hæc est illa nostra coram Deo iustificatio, non inanis verbalis & imaginaria, ut falsò eam traducunt adversarij, sed firmissima realis & certissima, incumbens & innixa fundamento solidissimo totius obedientiæ passionis, & satisfactionis unigeniti filij Dei, cuius applicatio fide fit. Quemadmodum illam iustificationem phrasi scripture sensu orthodoxo nostra form. Conc. definit.

Ἐπειτα membrum secundum.

XXXII.

Systemate nostræ Iustificationis in suis partibus absoluto & confirmato, diligentissimè observandum est, si velimus hunc articulum sincerum & incorruptum retinere, ne ea quæ iustificationem præcedunt, comitantur aut sequuntur, articulo huic, tanquam ad iustificationem necessaria, admisceantur, quare & de quibusdam aliis, circa negotium iustificationis maximè necessariis, Concordia nostra monet: ut, 1. de particulis Excluisivis. 2. de vocabulis Iustificationis, Regenerationis & Vivificationis. 3. de infirmitatibus & nevīs sanctorum. 4. Et deniq; de antecedente contritione & subsequente Nova obedientiæ. Quæ in hoc membro præcis erunt declaranda.

XXXIII.

Primò. Excluisivam particulam (sola fide) etsi in scriptura *καὶ ἁπλῶς* non inveniatur, ad conservandam tamen puram de iustitiæ fidei
CORAM

doctrinam omnino necessariam esse Concordia nostra §. 7. docet. Idq̄
hasce ob causas.

XXXIV.

1. Quia bona opera à merito Christi & opere Iustificationis seque-
strat. Et si enim fides Iustificans nunquam est sola, tamen sola iustificat: Et nisi
sit sine ullis etiam minimis operibus, non iustificat, imò non est fides (inquit Lu-
therus) quoad iustificationem, licet non sit sine operibus, quo ad declarationem fi-
dei & Iustitiae. Bona itaque opera non ut fructus, sed ut causa, meritum
συνεργῶν καὶ συναίτιον excluduntur à Iustificatione.

XXXV.

2. Ut soli Christo ea gloria tribuatur. Admonet enim & docet haec ex-
clusiva, obedientiam & satisfactionem Christi solam, esse causam & meritum no-
strae remissionis peccatorum & acceptationis ad vitam, in principio, medio & fine,
unde succenturiatio operum sive media sive finalis vel partialis, aut quocunq̄
nomine ea à Pontificiis excogitata veniat, exulat & pellitur foras.

XXXVI.

3. Quia æquipollet illis à Paulo usurpatis particulis exclusivis, Ex
gratia, gratis Rom. 3. v. 24. absq; lege Gal. 2. v. 21. c. 3. v. 21. sine operibus
Rom. 3. v. 28. c. 4. v. 6. non ex operibus Eph. 2. v. 9. 4. Ut haec proprie-
tas & officium, fidei sit solius, quod videlicet illa sola & nulla alia res sit me-
dium & instrumentum, quo gratiam DEI & Christum in Evangelio promissum
agnoscere, apprehendere & nobis applicare possimus. 5. Deniq; ut con-
scientiæ veram incerta & firma consolatione præstare queant invoca-
tionem, quam necesse est nisi non nostris operibus, sed solo filio Dei mediatore.
Rom. 4. v. 16. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.

XXXVII.

Exclusiva vero illa, sola fide Iustificamur, non ἀπλῶς sed κατὰ τὴν
accipienda est, de organo & instrumento Iustificationis, non enim excludit gra-
tiam Dei, meritum Christi, verbum Dei aut Sacramenta.

XXXVIII.

Secundò. Quamvis Apol. A. C. interdum vocabula Regenerationis &
Vivificationis pro iustificatione accipiat, tamen non ἀπλῶς & γενικῶς id fi-
eri sciendum est, sed εἰδικῶς, ratione partis principalioris, fidei nimirum, quam
continent. Aliàs maxima est horum vocabulorum differentia.

XXXIX.

Vocabulum enim Regenerationis duo in se complectitur benefi-
cia, adoptionem in filios Dei Iob. 1. v. 12. 13. c. 3. v. 5. & excitationem no-
vorum

vorum motuum. Colos. 2. v. 12. Gal. 4. v. 6. Prior pars coincidit cum Iustificatione, & est causa salutis nostrae, in qua significatione ab Apol. usurpatur: Posterior vero cum renovatione ac sanctificatione, & est effectum nostrae salutis, in qua significatione B. Lutherus hac voce in libro de Ecclesia & conciliis, tum alibi quoque saepe usus est.

XL.

Eandem quoque ferè significationem duplicem vocabulum vivificationis habet, ut vel mortuū in peccatis remissione peccatorū imputata vivificare. Eph. 2. v. 1. Rom. 1. 17. Habac. 2. v. 4. quo significato etiam cum Iustificatione coincidit: vel sanctitatem vel renovationem communicare significet, ut nova fiamus & viva atque operantes creature, & sic effectum Iustificationis designat. 2. Cor. 5. v. 17. Eph. 1. v. 10. Tit. 2. v. 14.

XL I.

Renovatio vero proprie loquendo, ferè tantum pro effecto Iustificationis accipitur, & differt à iustificatione causa formali & finali: Illa, quia Iustificatio est imputativa & perfectissima, Renovatio vero habitualis, inherens & imperfecta. Hac, quia iustificatione sumus & reddimur justi, Renovatione vero tantum innorescimus & declaramur justi.

XL II.

Tertiò. Quamvis autem illa Renovatio sanctorum prorsus sit imperfecta, & in hominibus sanctis adhuc multi remaneant naevi & infirmitates, non tamen sequitur propterea de Iustitia Christi & salute at. per fidem imputata, illis esse dubitandum. 1. quia certitudo illius non pendet ab illa novitate vite inchoata, sed à merito Christi fide apprehenso. 2. quia est contra proprietatem fidei justificantis. 3. & contra ipsum verbum DEI, dubitationem prohibens. 1. Ioh. 5. v. 10. 13. Rom. 8. v. 16. 38. Ebr. 12. v. 12. 13.

XL III.

Hac vero certitudo studium bonorum operum non tollit, sed magis excitat: Renati enim de gratia Dei & remissione peccatorum certi, suum corpus crucifigunt cum concupiscentiis ne vicissim peccatis contra conscientiam gratiā Dei excidant, sed potius de assistentia Spiritus sancti nihil dubitantes, inducta carnis & Spiritus superiores evadere summis viribus enituntur. Rom. 7. v. 18. & seq. Gal. 5. v. 16. 17. 24. 2. Cor. 10. v. 2.

XL IV.

Quartò. Porro quamvis tam Contritio antecedens, quam nova obedientia subsequens Iustificationem, ab ea secludantur, non tamen propterea talem fidem iustificantem esse fingendam, qua unà cum malo proposito peccandi & contra conscientiam agendi, esse & stare possit, Concordia nostra §. ultimo theses docet.

Contritio

XLV.

Contritio enim, quæ iustificationem precedit quamvis non sit eius causa, tamen morbum ostendit & vulnera aperit Psal. 32. v. 5. quæ deinde sola fides curat ac sanat, hæc insuper ducit secum suas ministras & chorum plurimarum virtutum, quarum fons & mater est, à qua illæ productæ & procreatæ semper hæc sequuntur. Homo enim Iustus tam non potest fidem vivam & iustificantem abscondere in corde, quàm non ignem in sinu fovere, quin efficaciter eluceat & per opera indicetur, fructusq; penitentia dignos proferat, licet universa ista opera, ipsum Iustificationis actum non ingrediantur. 1. Iob. 2. v. 10. 6. 3. v. 7. 9. 23. 6. 4. v. 7. 12. 19. 6. 1. v. 18., atq; hæcenus de thesi.

CAPUT III.

Antithesis seu Negativa.

XLVI.

Anathematismi isti undecim, quibus form. Conc. huius articuli errores & corruptelas perstringit, brevitatis gratiâ, hisce tribus, præcipuos errores, Osiandrisimum, Stancarismum, & Interimisticum seu Cryptopontificium, continentibus comprehendendi possunt.

XLVII.

Primò, Erronea Osiandri opinio notanda venit: Christum esse Iustitiam nostram solummodo secundum Divinam naturam, quatenus ea videlicet per fidem in cordibus nostris essentialiter habitet, atq; ita nos essentialiter in Deo iustos esse, essentia eius nobis insusâ, hominis vero immutatâ.

XLVIII.

Hæc verò tanquam heterodoxa & heretica rejicitur, & à Conc. nostra damnatur, idq; merito hæc ob causas. 1. quia contraria est scriptura, quæ non essentiali omnium trium personarum Divinitatis, sed solius Christi iustitiâ, obedientiâ eius partiâ, homines iustificari pronunciat, eâq; non inhabitante, sed per fidem imputatâ. Psal. 32. v. 1. 2. 5. 2. quia illa Divina natura nulli creaturae extra hypostases Divinitatis est communicabilis. 3. quia nos à peccatis mundari sanguine Christi, qui non est Divina, sed humana natura, Iohannes testis est. 1. Epist. c. 1. v. 8. 4. Quia si iustitia DEI essentiali iustificaremur, Christus frustra mortuus esset, neq; enim illâ acquisitâ & comparatâ iustitiâ Christi opus haberemus.

XLIX.

Deinde, Stancarus suam heterodoxiam ex lacunis Scholasticorum & præsertim Petri Lombardi libro 3. sent. dist. 19. hauriens, Osiandro sese opposuit, docens

docens : Christum esse nostram Iustitiam tantummodo secundum humanam natu-
ram, cui delirio & Esavita moderni, pro veritate mendacium exosculantes, patro-
cinantur.

L.

Sed & eodem Anathematismo, quo superior error à Conc. percutitur; quia
apertis scripturae testimoniis, officium mediationis Christo respectu utriusq; natu-
rae tribuentibus, contrarius est. 2. Cor. 5. v. 18. 19. Col. 1. v. 20. Act. 20. v. 28. Gal. 4. v. 4.

L I.

Denique, Errores Pontificiorum occasione religionis intermixtae sparsi, o-
mnes eò redeunt, quod opus justificationis inter Deum & homines partiantur, atq;
nos partim imputata Christi iustitia, ratione inity, partim inchoata Nova oba-
dientia seu Renovatione & infusa charitate ratione finis seu completivè, non absque
bonis operibus coram Deo iustificari, blasphemè doceant.


L I I.

Sed omnes haec in universum materiae & heterodoxiae Pontificiorum funda-
mento arenoso superstructae fulmine Anathematis tactae, absq; longiori refutatione
qua non indigent, sua sponte corruunt & collabascunt.

Nos potius omnipotenti Deo patri D. N. I. C. pro huius articuli sinceritate,
& Ecclesiae nostrae in eo Concordia gratias agimus sempiternas, eundemq; qua pos-
sumus animi devotione obnixè precamur, ut nobis sua gratia adesse, nosq; in vera
hac fide & agnita veritate fundatos confirmare, constantesq; usq; ad extremum
vita spiritum custodire & conservare velit.

Τῷ Θεῷ δόξα.





Continen
 De Iustif
 ni
P R O
L A C
 CO
Quam as
 S U B
 Reveren
Dn. LE
HUTTERI
 Professoris in c
 genfi Publ. in C
 gicarum p
M. PETR V
Ad diem 10. Sep
VVITEBERG



7
 Continen
 De Iustif
 ni
P R O
L A C
 CO
Quam as
 S U B
 Reveren
Dn. LE
HUTTERI
 Professoris in c
 genfi Publ. in C
 gicarum p
M. PETR V
Ad diem 10. Sep
VVITEBERG

